


OTONIVM.



TONIVM, Othanasum, siue Othonia ciuitas, Fionia Insularum Dania Regni amoenissima, fertilissimaq; Metropolis, vulgò *Odensch* Episcopatus dignitate præfulget, octo ciuitatum Fionia maxima, interioribustam publicis, quam priuatis ædificijs ornatior, quam propugnaculorum ac mœniorum ambitu munita, vt, quæ Bellonæ furijs, sæpius agitata, & deformata fuerit. Quanta autē sit eius vetustas, vel inde liquet, quod ab Othine quodam, vel Othane, qui ob admirandam magiæ peritiā celebris, ac pro Deo habitus, aliquot sæculis ante Christum natus vixit, sit denominata. Neque enim ab Othone vel Imperatore Germanico, vel alio quodam ciuitas hæc nomen primum accepit, sed, vt ex Annalibus Danicis patet, à prænomato Othine, A qua etiam voce, Mercurij dies, idiomate Danico *Othins* vel *Othans tagf* denominatur. Atque hanc Othonia etimologiam, non parum quoq; confirmat vox *Othinkari*, quæ in Episcoporum Rigensium catalogo legitur, cum sit quod Othini carus, germanici *Othintieb* vel *Gottlieb*.

Sita autem est loco amoenissimo & fertilissimo, pratis, agris, & piscosis riuus abundanter cincta, vnde non exigua commoditas ciuium opibus, quæ vt plurimum mercimonijs quaruntur, accedit. Splendidis insuper ædificijs, & insignioribus est exornata Ecclesijs, inter quas præcipua est D. Canuti Dania Regis Basilica, Loci Episcopatus, cuius insigne, crux flaua in campo cœruleo, circa annum Christi 1020. tēpore Canuti maximi Regis Dania institutus fuit, Cuius primus Episcopus extitit Reinerus ex Anglia oriundus, ab Eltrodo Anglorum Archiepiscopo in Daniam missus, vt Fionios Religionē Christianam doceret. Post hunc ordinaria successione, triginta alij Othoniensi Diocesi ad hæc vsque tempora præfuerunt. Porro, in monasterijs ac templis Othoniensibus, plurima vetusta ac præclara monumenta ac Epitaphia passim videntur, ex quibus quædam excerpte libuit. Cum chorus Ecclesie D. Canuti repararetur, Anno salutis 1582, Die 22. Ianuarij, inuenta est tumba cuprea auro obducta, & cristallinis lapidibus heroice & decenter ornata, in qua reconditum fuit Diui Canuti Regis Dania Martyris sceleton, cum tali epitaphio.

Iam coelo tutus summo cum Rege Canutus,
Martyr in aurata Rex atq; reconditur arca:
Et pro iustitiæ factis occisus inique,
Vt Christum vita; sic morte fatetur in ipsa;
Traditur à proprio, sicut Deus ipse, ministro.
Et patiens potum, telorum pertulit ictum,
Lancea nec ne latus, vt Christi, perforat eius.
Eius & ante sacram sanguis sacer effluit aram
Spiritibusq; sacris moriens sociatur in astris.

Anno incarnationis Dominicæ M. LXXXVI. In ciuitate Othensya gloriosus Rex & Protomartyr Danoru Canutus, pro zelo christianæ religionis & iustitiæ operibus, vt Christus, à proprio conuiuia, Blaco traditus in Basilica S. Albani Martyris, per eum paulo ante, ex Anglia in Daciam transfuectus, post confessionem delictorum, sacramentum munitus Dominici corporis, ante aram manibus solo tenus expansis in modum crucis latere lanceatus VI. Idus Iulij, & VI. feria, mortem pro Christo passus, requieuit in ipso. Occisi sunt ibidem cum eo, frater eius, nomine aëgra tia martyrij Benedictus, ac decem & septem sui commilitones, Qui omnes, sicut Dei gratia, cum suo Rege ac Domino, socij passionum martyrij fuerunt, ira consolationis ac præmij cum eo consortes esse meruerunt, in eadem Ecclesia sepulti. Interfectus est etiam eadem hora Blacus, istorum omnium proditor. Molanus in Martyrologio, natalem Canuti Regis ac Protomartyris Danie in decimo Iulij ponit, qui anno 1086. in Basilica S. Albani martyris, manibus in modum crucis solo tenus expansis, orans, mortem pro Christi passus est à suo familiari, cum quo occisus Benedictus frater & alij septedecim. habetur etiam in coenobio Franciscanorum, quod à Christina, Regina Danie, Ioannis Regis coniuge fundatum est, monumentum Regis Ioannis, eius coniugis Christianæ, & filij Francisci, ex Gotlandico marmore splendide & magnificè, iussu ac sumptibus Christianæ Reginae in vita extructum.

Ibidem quoque in tumba paterna, conditus est Christiernus II. quondam Rex Dania, Norvvegia & Suecia, reusq; his, propter sæuitiam ac crudelitatem, quam exercuit in omni generis homines tam Ecclesiasticos, quam politicos, expulsus, deinde in Norvvegia à Legatis Frederici primi Regis Dania, patru captus, & in custodia Calenbergicâ mortuus, A. C. 1559. Ianuarij die 25. ex animi maiore, in quem, ob Christiani iij. Regis Dania Patruelis sui obitum, qui 24. dies ipsum præcesserat, coniectus fuit, metuens, ne, illo mortuo, ipse quoque necaretur. Vixit annos 77. & aliquot menses. Habuit vxorem Elisabetham Philippi Regis Hispaniarum filiam, Caroli V & Ferdinandi Caesarum sororem: In cuius rei memoriam insignia paterna simul & materna tam Regis, quam Reginae in choro huius Ecclesie, depicta habentur. Hæc autem pietissima Regina Elisabetha fidiissima Christierni coniunx, exilij mariti comes esse maluit, quam sola in Dania regnare. Anno salutis M. D. XXV. Mense Ianuario Gandauit mortua, Cui Cornelius Scepperus, elegans Epitaphium scripsit. Quod laudatissima heroinæ in orbe Arctoo honoris causa, à doctis conseruatur.

In eodem templo sepultus est Gerardus Ranzouius, cui monumentum positum est antechorum in dextro latere ex ære deaurato cum tali inscriptione.

GERARDO RANZOVIO, Pauli filio Ioannis nepoti, qui cum opido Odensehe, à Rege Dania Frederico ij. Ducatus Slesuicensis principibus Holsatie, Ioanni & Adolpho, in feudum concederetur singulari certamine commissio, cum alio nobili Holsato, quam rursus grauius vulnerauit, ense traiectus (ad hic) præsentē Rege, à Ducibus nec non Proceribus Dania ac Holsatie, sepultura honorificè mandatus ab Henrico Ranzouio patruo: Beata mater, quæ maritū, filiam, & iam hunc filium natu maiorem ferè spatio vnus anni amisit, mœrens non sine Luctu, dolore ac lacrymis, collocauit. Discessit anno Domini 1580. die 19. Maij. Actatis 26.